

« Dilectus meus descendit in hortum suum, » etc. Id facere cœpere Iudæi mox a morte Christi cum misso Spiritu Sancto in Pentecoste, ad prædicationem S. Petri illico compuncti, et conversi ad Christum fuere Iudæi, primo ad tria, deinde ad quinque millia, *Act. II, 41, et IV, 4.*

Hoc accedit Almonacirius, qui hæc Christi effigie censet describi quadruplicem Ecclesie Christi ætatem et statum, perinde ac in statua Nabuchodonosoris describitur quatuor monarchiarum mundi vicaria ætas et successio, *Daniel. II, 31*: Christus enim et Ecclesia se habent ut caput et membra, ut sponsus et sponsa; quare quod de Christo dicitur, hoc et Ecclesie competit iuxta regulam Ticonii. Igitur per aureum Christi caput accipit primam Ecclesie ætatem, quæ fluxit a Christo, usque ad Constantinum, hæc enim fuit felicissima et aurea sub apostolis eorumque discipulis, SS. Dionysio, Clemente, Ignatio, Polycarpo, Justino, Quadrato, Irenæo, etc.; hi habebant oculos *columbarum*, id est limpidos, residentes ad Iuventa S. Scripture, atque *capillos fulvos*, quia religiose viventes cœlestem in terris vitam agebant. Hinc successit secunda Ecclesie ætas *eburnea*, a Constantino usque ad S. Gregorium, qui floruit anno Domini 600, qua Ecclesia per omnes gentes, etiam barbaras mire fuit propagata; hæc per *pectus, brachia, ventrem et femora* representatur; ventrem, inquam, non aureum ut caput, sed *eburneum*: cepit namque fulgor ille ardentissime charitatis nonnihil obscurari, quanquam doctrinæ et sapientiæ puritas maxime vigeret, quæ per *ebur* optime exprimitur: refinebat præterea seculum illud multum de pristina illa et apostolica morum integritate; unde *pectus, brachia, manus, venter et femora, auro, gemmis, hyacinthis et sapphis* distinguebantur: fuere namque illa ætate, quæ ipso ebore satis beata erat, SS. Athanasius, Basilus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Cyrillus et multi alii Ecclesie splendidissima ornamenta. Secunde huic successit tertia ætas et non jam aurea, nec eburnea, sed *lapidea* instar marmoris quidem, significata per *crura*, constans in fide, sed deficiente charitate frigidior: hoc est a S. Gregorio usque ad tempora Antichristi, quæ a duarum præcedentium fervore multum degeneravit. Quarta et ultima erit tempore Antichristi, sub finem mundi, quando Elias et Enoch Iudæos gentesque converterent, summeque eis fervorem et zelum insillabunt: unde hæc notatur per *pedes aureos*. Quare sicut Ecclesia habuit *caput aureum* sub apostolis, sic et desinet in *pedes aureos* sub Elia et Enoch, qui primævum Ecclesie primitivæ fervorem et spiritum tam Iudæis quam gentibus restituent: ita ipse. Hoc quoque facit versio Chaldaei: « Responderunt propheta, cum audierunt laudes Domini ex ore cœtus Israel, et ita dixerunt: Propter quod peccatum sublata est de medio tui majestas Domini,

o tu quæ pulchra es in operibus tuis super omnes nationes! et ad quem locum declinavit dilectus tuus, quando elevatus est de sanctuario tuo? Dixit cœtus Israel: Propter peccata et rebellionem et prodicionem, quæ inventa sunt in me; dixitque propheta: Nunc convertere ad penitentiam, et surgamus tu et nos, et oremus coram eo, et queramus misericordiam Iseum. » Notat Beda *terium*, cum aiunt: « Queremus enim tecum; » nam qui Christum, inquit, sine Ecclesia querit, errare et fatigari potest, at invenire non potest.

SECUNDE SENSUS

FARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Pœnilens, vel pia anima cognoscens quanta sit pulchritudo et gratia Christi, cum omnibus modis querit, ut eum in dies sibi magis magisque, ac tandem intime uniat, cum eo versetur jugiter, de illo meditetur assidue, etc.; unde invocat filias Jerusalem, id est angelos et sanctos, tum beatos in cœlesti Jerusalem, tum adhuc militantes in terrestri. Hi invocati rogant quoniam abierit sponsus, non quod id ignorent, sed ut indicent animæ querenti, ut recogitabit illi locus sponsi, in quo inveniendus sit, ac si ibi eum quaerat, se eam omni ope adiuturos: si enim eum quaereret ubi non est, puta in voluptatibus, honoribus, opibus, etc., neulquam illi auxiliarentur angeli et sancti, sed in castitate, humilitate, paupertate, mortificatione, mundi contemptu cum vestiget, ubi est et invenitur, tunc utique prompti omnes accurrent, ut illi in quaerendo et inveniendi opitulentur. Sic fecit Magdalena tum pœnitens, cum Christum quaesivit in domo Simonis, ibique pedes ejus lavans et rigans, plenam omnium peccatorum remissionem accepit; tum jam conversa, cum post resurrectionem Christi eum quaesivit in sepulcro, ideoque prima invenit specie hortulani sibi apparentem, colloquentem et consolantem.

Notat Cassiodorus, primo, Christum quandoque subducere se ab anima, vel potius in mente ejus se abstinere, ut ejus virtutem probet, acuat et perficiat; secundo, animam probam quaerere conversationem sanctorum, in quorum anima Christus requiescit, ut Christum in ea inveniat, ejusque participes fiat: sancti enim colloquentur Christum, quem in mente et ore gerunt, audientibus inhalant et inspirant.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Quomodo B. Virgo quaesierit Christum perditum, invenitque in templo, aliaque plura in hanc rem, dixi cap. III, vers. 1 et seq., cap. V, vers. 6 et seq.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sponsa adolescentulis rogantibus quoniam abierit sponsus, respondet se suspicari cum more suo visse in hortum, ibique pasci inter lilia: ipsum enim hæc delectari, ideoque frequentem esse in horto. Mox sponsus intelligens quanto desiderio eum quaesierit sponsa, quanta in quaerendo passa sit, scilicet flagella, vulnera et spolium, quantæque ei gloria dederit, vicem ei rependit, ac majores ei quam ante laudes dolesque assignat. Id audientes adolescentula, vers. 10, sponsam pulchritudinem admirantur. Inde, vers. 11, ait sponsus se descendisse in hortum, ut fructus inspiceret. Subjungit sponsa se id necesse. Denique adolescentulae sponsam ita laudatam rogant, ut revertatur, sequæ eis videndam et considerandam præbeat, ut in ejus amorem, admirationem et venerationem magis accendantur.

1. Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum ut pascatur in hortis, et lilia colligat. 2. Ego dilectus meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. 3. Pulchra es, amica mea, suavis, et decora sicut Jerusalem: terribilis ut castrorum acies ordinata. 4. Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. 5. Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, et sterilis non est in eis. 6. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque oculis tuis. 7. Sexaginta sunt reginae, et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus. 8. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitricis suæ. Viderunt eam filia, et beatissimam prædicaverunt: reginæ et concubinae, et laudaverunt eam. 9. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? 10. Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si florisset vinea, et germinasset mala punica. 11. Nescivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab. 12. Revertere, revertere, Sulamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.

VOX SPONSÆ.

VERS. 1. DILECTUS MEUS DESCENDIT IN HORTUM SUUM AD AREOLAM AROMATUM, UT PASCATUR IN HORTIS, ET LILIA COLLIGAT.

DILECTUS MEUS DESCENDIT IN HORTUM SUUM AD AREOLAM AROMATUM, UT PASCATUR IN HORTIS, ET LILIA COLLIGAT. — Arabicus, ut lilia congreget: pro *areolam*, hebraice est *ארוגות arugot*, quod Aquila et Symmachus *παραδείσος*, id est *sulcos, areolas*; Pagninus, *lineas sulcorum*; Septuaginta vero vertunt, *philas*, per quas Nyssenus, *hom. 15*, accipit animas sanctas, quæ virtutum aromata proferunt: hæc enim tales sunt, ut sapientiæ crateres factæ, divinum et incorruptum vinum in se suscipiant, per quod omnem consequantur lætitiā; unde S. Hieronymus, *Psal. LII, 1*, pro eo quod Septuaginta vertunt, *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus veritatis, sicut areola preparata ad irrigationes aquarum, sic anima mea preparata ad te, Deus*. Vide dicta cap. V, vers. 13. Sponsa adolescentulis, interrogantibus quoniam abierit sponsus, respon-

det eum abisse in hortum suum: ita S. Gregorius Nyssenus, Theodoretus et alii. Nominat primo *hortum*, deinde *hortos* in plurali, quia sicut in magno vastoque horto plures sunt minores, sic in una generali Ecclesia multæ sunt particulares: ita Gregorius, Beda et alii.

Hæc sponsa indicato adolescentulis sponsi loco, quod scilicet esset in horto suo, illico eo cum ipsis profecta est, ibique sponsum inveniens, ab eo excepta et laudata est, cum dixit: « Tota pulchra es, » ut audiemus vers. 3; in drama enim verbalis actiones silentur, eæque ex sequentibus legentibus intelligendæ relinquuntur.

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Christus suam fidem et pietatem ab arianis aliisque impiis in Oriente exclusam transiit in Occidentem, a Græcia in Italiam, ab Africa in Hispaniam, ab Asia in Indiam; maxime vero in fines mundi eam ab omnibus provinciis transferet in

Judæam, cum eam per Eliam et Enoch convertet, ut dixi in fine capituli precedentis: Judæa enim proprie est hortus Christi, utpote in qua ipse ex Abraham, David, cæterisque regibus fidelibus autus et educatus, primo fidem et religionem christianam in eadem fundavit; unde in ea apostoli et primi fideles mira sanctitate floruerunt, major tamen Judæorum pars mansit in judaismo obstinata, et Christo inimica; unde in fine mundi Christus a gentibus sceleratis et impiis exclusus, migravit ad Judæos, eosque per Eliam convertet, et tunc « omnis Israel salvus fiet, » *Rom. xi, 26*; hinc et Antichristus regni sui sedem figet Hierosolymæ, ut verus habeatur Messias et Christus Davidis et Salomonis filius, sed ab Elia de falsitate et hæresi convincitur: quare Judæi ab Antichristo ad Christum se transferent. Dicit ergo hic Ecclesia, ut Christum sponsum, ejusque fidem et cultum ex Oriente et aliis provinciis exsulantem, adolescentule, id est pie anime requirant in Occidente, quasi in horto suo, puta Romæ in Italia, Hispania, Germania, ac in fine mundi in Judæa, fidei et religionis reformatores, in alias provincias, infidelitate et scelere deformatas evecent, ut eas pristino decori et splendori restituant. *Arcola aromatum* ergo sunt Ecclesia et fideles addicti orationi, mortificationi, cæterisque virtutibus, quibus quasi aromatis Christus oblectatur et pascitur, ubique colligit lilia castorum et virginum. Vide dicta cap. v, vers. 1 et 13, ubi nota fidei et religionis christianæ propriam et peculiarem dotem et floram esse liliam, id est castitatem et virginitatem: quare ubi deficit fides, ibi mox deficit castitas, regnatque libido; ex adverso ubi viget fides, ibi floret et castitas, ut alibi fastus ostendi.

Porro Chaldaus hæc judaice more suo accipit de rediva Judæorum ex Babylone: hæc enim Judæorum et Synagoga reformatio fuit typus reformationis Ecclesie: « Dominator sæculi, inquit, suscepit voluntarie orationem eorum, et descendit in Babylonem ad concilium sapientum, et dedit populo suo requiem, et eduxit eos de captivitate ipsorum per manum Cyri, et Esdræ, et Nehemie, et Zorobabel filii Salathiel, et seniorum Judæorum, et edificaverunt domum sanctuarii, et constituerunt sacerdotes super oblationes, et levitas super custodiam verbi sanctitatis; et misit ignem de caelis, et suscepit voluntarie oblationem et incensum aromatum, et sicut vir qui nutrit filium suum dilectum in deliciis, ita delicate nutrit eos; et sicut vir qui colligit rosas de convallibus, ita congregavit eos de Babylonia. »

Mystice S. Hieronymus sub finem Comment. in *Zachariam*, per hortum accipit S. Scripturam: « Hortus, ait, et paradisus in quem sponsus descendit ad sponsum, sanctarum lectio Scripturarum est, de quibus lilia, et rosas, et rosas, et varia decerpit aromata, ut impleat phialas animarum credentium, et Domino ex eis lilia defundat. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS.

De Christo et anima sancta.

Hortus et paradisus Christi est anima sancta, que crebro in arcola aromatum, id est in passione Christi omnibus virtutibus refulsissima meditando versatur; maxime vero paradisus Christi est animarum sanctarum cœtus, qualis est in convallis et familiis religiosis: ibi enim sunt arcola aromatum, id est ordines virtutum omnium, ac lilia castitatis, cum in mundo et seculari vita omnia plena sunt spinis vitiorum et urticis libidinum; unde ab his sese ad religiosos transfert Christus, eorumque castitate et virtutibus delectatur et pascitur. Quare religiosus qui se totum consecrat, dicatque Deo, dicere potest: « Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi; » hinc et divergentis Ecclesie senectutem per florentem religiosorum in spiritu juventutem reformare solet Christus, uti superius dixi, tuncque impletur illud, *Psal. cx, 3*: « Renovabitur ut aquila juvenus (imo senectus) tua: » quocirca Deus, cum vult reformare Ecclesiam, novam religionem spiritu apostolico ferventem instituit, aut jam institutam reformatur, et ad primævam observantiam et fervorem reducit; lilia quoque, id est virginum cœtus instituit, aut institutos renovat et excolit: reformatio enim Ecclesie maxime consistit in reformatione cleri, religiosorum et virginum: hi enim deinde reformant laicos et plebem christianam. Exempla sunt in SS. Basilio, Augustino, Benedicto, Romualdo, Brunone, Bernardo, Dominico, Francisco, Ignatio.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo est hortus deliciarum, et paradisus Christi, unde in ejus corpore corporaliter novem mensibus, in anima vero et mente spiritaliter quasi in templo suo jugiter habitavit: quocirca Nysenus, Theodoretus et Justus Orgelivinus dicunt Christum descendisse in hortum suum, cum eo cœlo descendit in uterum Virginis, et carnem ex ea assumpsit. Christus ergo, dum viveret in terra, pascabatur inter lilia virginum, quia delectabatur virginitate B. Virginis, S. Josephi, et S. Joannis apostoli, ac vicissim eos pavit castissimis virginitatis, et cælestis vite amebus et delectationibus; hosce ergo colat et invocet, qui eorum castitatem imitari, itaque Christum ad vitam suam, quasi ad virginem thalamum pellicere cupit.

Exemplum memorabile est in S. Eduardo rege Anglie, qui eorum inspiratione et dono virginitatem perpetuam cum conjuge sua Editha, usque ad mortem coluit et servavit; fuit ergo mira devo-

tus S. Joanni, adeo ut nulli ejus nomine elemosynam petenti denegaret. Probativæ regis animam ipse S. Joannes, ac specie pauperis ei soli apparens, petiit ab eo nomine S. Joannis stipem, cumque rex aliud ad manum non haberet, anulum e digito detractum ipsi donavit, quare ingens ab eo liberalitatis premium tulit: nam S. Joannes duobus Angliæ Hierosolymam peregrinantibus apparens, per eos anulum regis remisit, dixitque: « Ego ob amorem regis vestri, in omni via firmabo super vos oculos meos. Ego enim sum apostolus Christi Joannes, qui regem vestrum ob meritum castitatis summa dilectione complector. Hinc ergo anulum, quem mihi in habitu peregrini apparenti tribuit, reportate, denuntiantes ei obitus sui diem instare, quem intra sex menses visitans visitabo, ut mecum sequatur Agnum quocumque ierit. » Ita factum, rex enim e vita hac a S. Joanne evocatus, anno Domini 1066, die 5 Januarii, in exilium descendit: ita Alfredus abbas in egi: *Vita apud Surium*, qui et multa paginæque ab eo post mortem edita miracula recenset.

Porro Philo Carpathius et Lucas abbas per descensum Christi in hortum accipiunt descensum Christi ad inferos; de eo enim latroni dixit Christus, *Luc. xxiii, 43*: « Hodie mecum eris in paradiso. » *Arcola aromatum* fuerunt patres patriarche et sancti, ut Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Job, David, etc. Addit Philo: « Inde factum est, ut in fragrantissimis mentium humanarum hortis, christiana fide et charitate flagrantium pascere: ipse Deus, ex iis candidissima liliorum odora menta, ac sarta apostolorum, martyrum et omnium beatorum ad cœlestem thalamum adornandum legeret. »

Anagogice, Christus colligit lilia, cum virgines, purasque et perfectas animas ex hac vita, velut ex horto terrestri decerpit, ac eas in cœlestem paradysum transfert, ubi angelis sociatæ, miro splendore in æterna gloria effulgeant.

VERS. 2. EGO DILECTO MEO, ET DILECTUS MEUS MIHI, QUI PASCITUR INTER LILIA.

Hunc versum explicat cap. ii, vers. 16. Chaldaeus veritè, et in illo die servus Domino sancti dilecto meo, et dilectus meus habitare fecit majestatem suam in medio mei, et nutrit me deliciis. Sponsa enim, quia amore sponsi plena erat, idemdem eum repetit et inculcat, præsertim hic, ubi cum adolescentulis pægebatur ad hortum ad quarendum sponsum; unde forte eo viso, et adolescentulis ostenso, in hæc amoris erga eum verba prorupit. Nysenus, *homel. ultima* (hic enim finit ipse Comment. in *Canticum*) docet sponsum ita se per omnia conformare sponso, ut plane ejus similitudinem in se exprimat, ejusque formam induat, adeo ut qui eam videat, sponsum videre se astimet: perinde ac qui imaginem cernit, exemplar ad quod expicta est imago, cernere se censet; et qui effigiem in speculo aspiciat, rem effigiatam

non tantum se aspiciere putat, sed et re ipsa aspicit: ibi enim res ipsa se exhibet per sui speciem, et radiam non directam, sed a speculo reflexam; quare qui hæc imaginem Christi in mente suscipere cupit, omnes aliarum rerum imagines ex ea erasat oportet, ut instar speculi tersi et puri, Christum illuminantis colores et radios in eodem excipiat. Talis erat Paulus, dicens II Cor. iii, 18: « Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, » id est speculorum more Christi in nobis imaginem recipimus, ac reddimus. *Et Solus, ii, 20*: « Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus, id est abrasus quasi poliendo universis, quem in Christi naturam non cadunt, nihil in me habeo quod non in ipso sit, et ea de causa mihi vita Christus est, qui est sanctificatio, et puritas, et immortalitas, et lumen, et veritas, et hincmodi alia quæcumque animam meam pascunt, non in gramme, vel virgultis, sed in splendore sanctorum; id enim significant lilia, cum splendore quodam sint ornata colore. » Hucusque Nysenus.

Mystici sive contemplativi hæc accipiunt de extasi et raptu, quo anima irradiata Dei luce quasi fulgurata, per eam immensam Dei pulchritudinem, bonitatem, sapientiam, etc., quasi per umbram conspiciat, ad carnem obstupescit, ita ut tota in illam rapiatur et absorbeat, adeo ut nulli alteri rei intendere queat; unde presentia non videt, non audit, nec ullo sensu utitur: ita J. Thomas, II II *Quest. CLXXV, art. 2*.

Porro Richardus de S. Victore, lib. V. De *Contemplatione*, cap. v et sequent., docet tribus causas animam in hæc extasim, sive alienationem abduci, scilicet primo, ob magnitudinem devotionis: amor enim vehementer facit extasim, ait S. Dionysius; secundo, ob magnitudinem admirationis; tertio, ob magnitudinem exultationis. Oritur ergo extasim ex magna devotione, quando anima tanto desiderio cœlestis et divini amoris igne succenditur, ut ad eam similitudinem liqueat, et quasi a proprio statu dimota, et instar fumi attenuata ad superna consensat: cui devotioni et amoris aliquando magnitudo lucis adiungitur, aliquando solus devotio affectus alienationem operatur. Oritur deinde ex ingenti admiratione, quando anima divino lumine irradiata, et summe pulchritudinis et perfectionis divine cognitione suspensa, tam vehementer stupore concutitur, ut in similitudinem fulguris coruscet, transcursus sensibus in summa elevetur; et hæc quidem admiratio et perfecta cognitio interdum animæ non prævenit adventi; interdum in eam in affectus amoris vel in profundam meditationem incumbentem irruit; interdum a lumine incipit in ardentissimum fervorem desinit. Oritur tandem ex ineffabili exultatione, quando anima internum suavitatis abundantia potata, imo et plene inebriata, quid sit, et quid fuerit penitus obliviscitur; et in alienationis excessum lætitiæ nimietate

transfertur; talis fuit raptus S. Francisci, de quo ita scribit S. Bonaventura in *Vita* ejus, cap. x: «Visus est nocte manibus ad modum crucis profensis, toto corpore sublevatus a terra, et nube una quadam fulgente circumdatus, ut illustratio mirabilis intro mentem mira circa corpus perlustratio testis esset. » Tale quid accidit S. Dominico, qui cum in Missa corpus Christi purissimis manibus in altum elevaret, cunctis qui aderant spectantibus et stupentibus, ipse pariter cubiti unius altitudine a terra elevatus, corpus terrenum et grave animi devotione, et spiritu gratie sursum altolente. Talis quoque fuit extasis S. Igaatii fundatoris Societatis Jesu, de quo ita scribit Maffaeus in *Vita* ejus, lib. I, cap. vii: «Factum est aliquando, ut alienatus a sensibus a completorio sabbati ad alterum usque proximi sabbati completorium, in altissimo quodam excessu perstitit, in quo de SS. Trinitate per visionem intellectualem ita instructus est, ut de ea, licet adhuc idiota, librum scribere ausus sit. » Talis quoque fuit B. Theresia, de qua ita legimus in ejus

Vita, cap. lxxiv: «Erat ejus oratio non solum assidua, sed adeo fervens, quo statim ac sese in orationem recipiebat, confestim extra se raperetur saepe etiam absque ulla preparatione, Spiritus efficaciter percussa, ab usu sensuum abstraheretur; aliquando etiam ex his raptibus cum summis exclamationibus et lacrymis revertebatur, in quibus magnam noctis partem insuñebat. » Eadem dicebat animam perfecte amantis et contemplantis fieri unum cum Deo spiritu, eo modo et similitudine, quo pluvia et celo pluens in fluvium cum ejus aqua miscetur, unumque quid cum ea fit; aut quo duae lucernae duo fundunt lumina, quae in eodem cubiculo coeuntia unum lumen efficiunt; ubi nota non per omnia haec esse similia, horum enim unio est quasi essentialis; anime vero cum Christo unio est accidentaliter per contemplationem et amorem. Error enim Almarici et contemplativorum rudium tempore Ruibruchii fuit, in extasi animam annihilari, et transire in essentiam Dei, uti recenset et refutat Gerson, tract. *De Contemplat.*

QUINTA PARS DRAMATIS,

1798

ULTIMA PARS LIBRI,

IN QUAE ECCLESIAE SENESCENTIS REFORMATIO, RENOVATIO, PERFECTIO, AC TANDEM FELICITAS ET GLORIFICATIO, AUT POTIUS AD FELICITATEM ET GLORIAM AETERNAM ANHELATIO DESCRIBITUR.

Vide dicta in Prooimio, cap. iii.

VOX SPONSI.

VERS. 3. PULCHRA ES, AMICA MEA, SUAVIS, ET DECORA Sicut Jerusalem: TERRIBILIS UT CASTRORUM ACIES ORDINATA.

Pro serie et decore dramatis, nota sponsam, mox ut sponsum invenit in horto, vel in via ad hortum sibi occurrentem, eum reverenter et amanter salutasse, eique narrasse, quanto dolore et studio eum quaesierit; quanta idcirco probra, verbera et spolia a circuitoribus perpressa sit; quibus notis et cingis adolescentulis eum quaesitoris insipienter, quae omnia utpote jam recensita, hic subteñentur: quibus auditis sponsus eam consolatur, ac vicissim laudes et dotes ei cap. iv assignatas confirmat, aliasque insuper adjicit. Ait ergo:

PULCHRA ES, AMICA MEA, SUAVIS ET DECORA. — Pro *suavis* hebraice est כְּרִימָה *kerima*, quod

primo, plane et apposite cum Hebraeis, Pagnino, Vatablo, Marino et aliis, vertas, sicut *Thirsa*, q. d. sponsus. Pulchra es sicut *Thirsa*, et decora sicut Jerusalem: *Thirsa* enim, sive *Thersa*, ut vertit Noster in III Reg. xv, 33, erat urbs admodum speciosa in tribu Manasse, in alto monte sita; unde Jeroboam primus rex Israel, sive decem tribuum, thronum eum in ea collocavit, illamque regni caput effecit. Jeroboam secundi sunt ejus posterit et successores usque ad Amri patrem Achab, qui aedificata urbe in monte Somer, indeque nuncupata *Samaria*, quae postea *Sebaste*, id est *Augusta*, in honorem Caesaris Augusti, ab Herode appellata est, in illam regni caput sedemque transtulit, ut patet III Reg. xiv, 17; et xvi, 6, 8, 9, 15, 23 et 24. Licet enim *Thirsa*, tempore Salomonis, necdum esset metropolis regni Israel, tamen pulchra admodum erat et amena; unde paulo post sub Roboam a Jeroboam facta est

metropolis, idque mox futurum praevidebat Spiritus Sanctus, qui haec Salomoni dictavit.

Secundo, Septuaginta תְּרִישָׁא *terisa* vertunt, *terisa*, id est *beneficentiam*, *complacitum*, *beneficentiam*: *terisa* enim est velle, *complacere*, *beneficentiam* esse; unde transfertur, *pulchra es, amica mea*, ut *beneficentiam*; Symmachus, *bene accepta*; quinta editio, *quosque bene probo*; Syrus, *pulchra es secundum meam voluntatem*; hinc Noster vertit *suavis*, quia quae alicui bene placent, haec illi grata, suavia et jucunda sunt; alii vertunt *suavitas*, in abstracto, q. d. *Suavis adeo es ut ipsa suavitas esse videaris*, hoc est, suavissima et jucundissima es. Porro noster interpres, aeque ac Septuaginta saepe pro nominibus propriis vertunt eorum significata, cum illa rei, de qua agitur, conveniunt, aut quid mysterii in eis latet; sic pro *Simon Chananæus* vertit, *Simon Zelotes*; pro *Thomas* vertit, *Dithymus*; pro *Cephas* vertit, *Petrus*; pro *Benares* vertit, *filii tonitru*; sic I Paral. iv, 22, pro nominibus propriis *Joachim*, *Choseba*, *Joas* et *Sauroph*, vertit, « et, *Qui stare fecit solem*, *virique Meducti*, et *Securus* et *Incendens*, qui principes fuerunt in Moab. »

SICUT JERUSALEM. — Jerusalem enim erat pulcherrima, sive templum, sive domum regiam, sive muros, sive plateas, sive aedes, fora, vicus, sive homines, ac praesertim feminas et sponsas spectes. Solent Hebraei homines comparare arboribus, hortis, urbibus, ac vicissim urbes hominibus et caeteris hominum; unde Jerusalem caelestis comparatur sponsae, *Apoc. xxi, 2*: « Vidi, inquit, sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de caelo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatum viro suo. » Porro Chaldaeus haec de cupide Judaeorum templo accipit: « Pulchra es, inquit, hodie tempore secundi templi, sicut accepta fuisti olim tempore primi. » Verum tempore Salomonis necdum erat templum secundum.

TERRIBILIS UT CASTRORUM ACIES ORDINATA. — Syrus, ut dicto, q. d. Sponsa mihi sponso est suavis et amabilis, sed hostibus saeva et terribilis, juxta illud, cap. i, 9: « Equitatu meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. » Hebraice est, *terribilis כְּבָרִימָה כְּבָרִימָה*, id est *sicut acillate*, scilicet, acies atque cohortes, hoc est, ut *castrorum acies ordinata*, ut vertit Noster: sub vexillis enim ordinantur cohortes et acies, atque in recta eorum dispositio et ordine consistunt castrorum robur et fortitudo; pauci enim milites recta dispositi et ordinati profligabunt multos male dispositos, palantes et inordinatos. Septuaginta pro *כְּבָרִימָה* *avuma*, id est *terribilis*, legentes alii punctis *כְּבָרִימָה* *ema*, vertunt *terribilis*, id est *pavor*, stupor, admiratio; unde Vaticani transferunt, *pavor ut ordinata acies*; pavor, id est *pavore* et pavorem hostibus iocutiens. Nysseni, aeque ac S. Athanasii in *Synopsi* interpres, pro *pavor*, vertit *stupor*: nam pavor parit stuporem, haecque stupidos. S. Ambrosius, lib. *De Virgini*,

viii.

vertit, *admiratio ordinata*, « eo quod, inquit, civitatis aeternae universa habet mysteria, et admirationi sit omnibus, intuentibus eam, quia plena ut aequitas, atque perfecta est, et fulgorem de verbi lumine mutata, dum in id semper intendit; sit etiam *terribilis* ordine quodam ad summam provecita virtutum.

PRIMUS SENSUS

ADEQUATES,

De Christo et Ecclesia.

Ecclesia pulchra effecta est, aeque ac fortis et terribilis ut castrorum acies ordinata, quando errores et vitia per arianos, aliosque impios in fideles suos inducta, per zelosos imperatores et principes, pontifices et episcopos in Concilio Niceno, Ephesino, Chalcedonensi, Lateranensi, Florentino, Tridentino, aliisque tum oecumenicis, tum provincialibus extirpavit; et Ecclesiam vel universalem, vel provincialem pristino fidei et virtutum nitore restituit: hic enim incipit Spiritus Sanctus describere senescentis Ecclesiae renovationem, quae saepius et varie diversis temporibus et locis facta est per episcopos et reges eximos, quos Deus Ecclesiae reformatores suscitavit. Sic S. Athanasius reformavit Ecclesiam alexandrinam, ut in omni sanctitate floreret, Deique patris radis esse videretur. Sic Lucifer Calaritanus reformavit Sardiniam, Eusebius Vercellensis Italianam, S. Hilarius Galliam, Dionysius et mox S. Ambrosius Mediolanum, ab Auxentio ariane episcopo paulo ante deformatum, S. Paulinus Treviros; sic aliis saeculis prolapsus Ecclesiarum particularium mores instaurarunt.

Maxime vero in fine mundi id facient Elias et Enoch cum suis assedis, uti paulo ante dixi; unde tunc Ecclesia erit pulchra ut Thersa in gentibus, et decora ut Jerusalem in Judeis: Thersa enim erat metropolis Samaritarum, qui a Judeis vilipendebantur, ut gentes et idololatras; Jerusalem vero Judaeorum, Ecclesia enim similis est urbibus Thersae et Jerusalem, quia sicut in his erat congregatio et multitudo civium, sic in Ecclesia est fidelium. Rursus Thersa idem est quod *complacencia*, *suavitas*, *decor*, *pulchritudo*, qualis est in Ecclesia gentium reformata. Jerusalem idem est quod *visio pacis*, qualis erit in Judeis, quando ipsi ad Christum conversi, cum gentibus in unam Ecclesiam pacifice conspiciantur, ideoque in unam Jerusalem caelestem transferentur. Hinc Ecclesia a S. Paulo, *Galat. iv, 26*, et a S. Joanno, *Apoc. xxi, 1*, vocatur *Jerusalem* ob causas, quas bident recensui. Audi S. Gregorium: « Pulchra et amica, suavis et decora sicut Jerusalem Synagoga esse perhibetur, quia sancta quatuor evangelia aliquando conversa, sicut Ecclesia sectabitur: Jerusalem quippe visio pacis interpretatur; per quam bene S. Ecclesia figuratur, quia dum in mundo semper pressuram patitur, vitam fastidit, quae sa-

20

pax patrie celestis, currando contemplatur, confidens in eo qui discipulis suis dicebat, *Joan. xvi, 33*: *In mundo quidem pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.* Digne autem Synagoga conversa sicut *Jerusalem pulchra, et amica, et suavis, et decora* dicitur, quia dum S. Ecclesiam imitatur, quatuor evangeliorum præcepta operatur, a quibus pulchritudinem morum accipit, ut placeat; exercitium sanctæ operationis colligit, ut in amicitia hæreat; suavitatem mansuetudinis discit, ut permaneat; speciem decore conversationis ostendit, ut per exemplum trahat. »

Porro Ecclesie pulchritudo, æque ac fortitudo, quæ eam demonibus, hereticis et impiis facit terribilem, consistit in ordine hierarchico, quo pontifici subsunt et subserviunt episcopi, episcopi presbyteri, presbyteri diaconi, diaconus ceteri clerici et laici, quique in ordine et gradu suos. Hos omnes enim pontifex per episcopos regit et dirigit, sicut angelus oculi primi, quod *primum mobile* dicitur, illud movens ab oriente in occidentem, eodem consequenter et movet caelos inferiores primo subjectos; unde et nulla vis resistere, aut motum hunc inhibere potest. Tanta est vis obedientiæ et ordinis; ob illum enim Ecclesia dicitur terribilis ut castrorum acies. Hoc est quod præcinit *Isaias, cap. xxvi, vers. 1*: « *Urbs fortitudinis nostræ Sion salvator, ponetur in ea murus et antemurale.* » Causam affert, *cap. lvi, vers. 11*, dicens: « *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua: et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles,* » quoniam sicut hi lapides explicat subdens: « *Universos filios tuos doctos a Domino: et multitudinem pacis filius tuus.* »

Rursus pro *ut castrorum acies ordinata*, hebraice est, sicut *vehilitas*, scilicet phalanges et acies, quin in Ecclesia universalis multe sunt particulae, et in particularibus multi clericorum et laicorum gradus, nulli religiosorum ordines, qui omnes licet vexillis particularibus discreti, omnes tamen militant sub vexillo crucis Christi: quare ab eo, puta a Christo crucifixo, manat omnis eorum pulchritudo, æque ac fortitudo; unde S. Anselmus: « *Terribilis es, inquit, quia in te milito et tu militas in servitio meo, sicut in castris militatur, et est ordinata per institutionem:* » in Ecclesia enim sunt validi eumque martyrum, fortia ægmina virginum, invicta ægmina doctorum, etc. Addit Cassiodorus Ecclesiam dici *pulchram* et suavem in virtutibus, *terribilem* in imperio, quod profert usque ad terminos terre.

Porro ordo hic unit omnes fideles inter se, æque ac eum capite Christo; atque hæc est causa, cur Ecclesia sit fortissima et inimicis terribilis ut castrorum acies ordinata: quia scilicet summe per charitatem unita est, unio autem tot fidelium est invicta, omniaque pervincit: audi S. Gregorium: « *Notum expeditio est, quod milites cum in*

prociectu contra hostes vadunt, si stricte et concorditer gradiuntur, ab hostibus contravenientibus timentur, quia dum in eis aditum pro secessum non aspiciunt, qualiter eos penetrent hæsitantes non inveniunt; illicque hoc impetabile munimen efficitur, quod concorditer ordinati seipsis semetipsos tuerent. Dum enim de seipsis sibi vallum efficiunt, intrandi ad se aditum hostibus non relinquunt; et ut occidantur appetiti, ipsi facilius occidunt. Sic in multitudine fidelium contingit, quæ dum contra malignos spiritus pugnare non desinit, necesse est ut pace charitatis constringatur, qua salva fit: si enim pacem tenet, terribilis hostibus apparet; si per discordiam scinditur, undique ab hostibus leviter penetratur. Pace itaque se uniat, unitate suo vincat, charitate se uniat, ut dum in seipsa per secessum damnatum non patitur, ducent suum semper exsultans sine confusione sequatur. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Anima sancta *pulchra* est per gratiam, *suavis* per comitatem, *charitatem* et *benevolentiam, terribilis* per zelum, quia in omnibus Dei voluntati se conformat, ejusque gloriam promovere satagit; talis terribilis est, ait Beda, quia universam virtutum aciem in se habet instructam; si ergo eam tentat gula, resistet temperantia; si libido, resistet castitas; si ira, resistet patientia; si superbia, resistet humilitas; si avaritia, resistet liberalitas; si aecidia, resistet zelus. Audi Hugonem de S. Victore, *Erudit. Theol. ex Miscell. n. lib. 1*: « *Suavis* est, ait, hominibus, *decora* numinibus, *terribilis* demonibus: quare? quia ambulat *ut castrorum acies ordinata*, non dissipata per invidiam, sed conspala per charitatem. *Acies* est per conventum, *castrorum* per prociectum, *ordinata* per consensum. Conventum facit penitentia, prociectum ponit vigilantia, consensum præbet concordia; » unde Chaldaeus vertit: « *Quam pulchra es tu, dilecta mea, in tempore, quo vis facere voluntatem meam!* pulchra est domus sanctuarii, quam edificasti mihi similem priori domui sanctuarii, quam edificavit mihi Salomon, rex Jerusalem; et terror tuus fuit super omnes populos in die, quo ambulaverunt vexilla tua per desertum. »

Nota, fortitudo Ecclesie ac anime pie oditur ex ejus pulchritudine, ideo enim *terribilis* est hostibus, quia *decora* est sicut *Jerusalem*, id est sicut *visio pacis*; pax ergo facit eam terribilem, pax enim omnes ejus motus ac affectus componit et ordinat juxta legem et voluntatem Dei, ut sint quasi castrorum acies ordinata, id est densa, concors et composita, quam nulla vis percurrere valet. Hinc anima composita et pacifica est invicta et insuperabilis.

Porro Nyssen legat, *pulchra es, proxima, ut*

beneplacitum vel *benevolentia, decora sicut Jerusalem, stupor sicut instructa acies*, sicque explicat: *Pia anima, inquit, primo, est similis benevolentie Christi, quia ipse se exinanivit formam servi accipiens, deditque in pretium pro mundi vita; sic enim anima piase impendit pro salute proximorum, ut faciebat Paulus, atque in hoc consistit ejus pulchritudo. Secundo, formosa est sicut Jerusalem, scilicet celestis, quia cum habeat in se inhabitantem Deum, qui omnem decorem tribuit celesti Jerusalem, huic quoque in decore similis esse perhibetur. Tertio, eadem stupor est sicut instructa acies, quia cum omnia, inquit, faciat ordinata et decore, talem sui excitat admirationem, qualem angelorum exercitus, qui in omnibus sui ministeris sunt ordinatissimi. Sic et Theodoretus, qui tamen *εὐδοκία*, id est *beneplacitum, verit probatorem*; ut sicut sponsa sponsum, cap. v, vers. 16, vocavit *desiderium*, id est summe desiderabilem, sic sponsus hic vicissim sponsam vocat *probatorem*, id est summe probatam, puram et perfectam. Tres vero Anonymi censent animam piam vocari *stuporem*, eo quod contemplando immensam Dei pulchritudinem, admirando obstupescat, ut faciunt angeli.*

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo pulchra est complacencia, quia unice præ omnibus creaturis placet toti SS. Trinitati, angelis et sanctis, juxta illud Gabriellis, *Luc. 1, 30*: « *Invenisti gratiam apud Deum, o beata Virgo, inquit Rupertus, suavis et decora es sicut Jerusalem, in eo quod anima tua semper supernum videt pacem, et ex visitatione tui discunt anime plurimæ celestem ducere conversationem; unde et dicuntur, vel sunt filie Jerusalem, quia optimam eligunt partem, juxta illud, Psal. xlv, 11: Vacate, et videte quoniam ego sum Dominus, etc. Tu quoque terribilis es demonibus, hereticis et impiis, sicut castrorum acies ordinata, in qua summa omnium est concordia; ac proinde nullus in ea per discordiam aditus datur hosti. » Quocirca omnes heretici qui Christum etiam beatam Virginem impugnant, ab ea proteruntur; unde de ea canit Ecclesia: « *Cunctas hæreses sola in universo mundo interemisti.* » Addit Sophronius, *serm. De Assumpt.*: « *B. Virgo, inquit, est sicut castrorum acies ordinata, quia stipata est innumeris angelorum et sanctorum ægminibus; » hinc Damascenus, *orat. 1. De Nativ.*: « *O sanctissima, inquit, filia, quæ materni uberis lacte aleris et ab angelis undique cingeris!* » hinc et S. Bonaventura in *Specul. B. Virginis*, cap. iii: « *Maria, inquit, interpretatur domina: hoc quoque optime competit imperatrici quæ revera domina est celestium, terrestrium et infernorum: domina, inquam, angelorum, hominum et de-***

monum, » etc. Unde S. Augustinus ait: « *Michael dux et princeps militia celestis cum omnibus spiritibus administratoris, tuis, Virgo, parat præceptis in defendendis in corpore et in suscipiendis de corpore animabus fidelium specialiter servientium tibi, Domina, et die ac nocte se tibi commendantium.* » Idem in *Canticis*: « *Te matrem Dei laudamus; tibi, ait, omnes angeli et archangeli, tibi throni et principatus fideliter deserviunt; tibi omnes potestates et omnes virtutes cæli caelorum et universe dominationes obediunt.* » B. Gertrudis, *lib. IV Revelat.* cap. xlix, agens de angelis quos videbat coram Deipara, eos qui ad festum Assumptionis se paraverant, adducere, eosque ab insidiis malignorum spirituum defendere, subjicit: « *Quia ad imperium, inquit, Dei genitricis multitudine angelorum undique defendendo protegit, omnes gloriosam Virginem invocantes.* » Denique S. Germanus, *orat. In Zonam Deipara*: « *Tu, ait, nequissimi hostis contra servos tuos invasiones sola nominis tui invocatione sanctissima repellens, tutos atque incolentes servas.* » Vide dicta cap. i, vers. 9, ad illa: « *Equitatum meo in curribus Pharaonis assimilavi te.* »

VERS. 4. *AVERTE OCULOS TUOS A ME, QUIA IPSI ME AVOLARE FECERUNT. CAPILLI TUI Sicut GREX CAPRARUM, QUE APPARUERUNT DE GALAAD.*

AVERTE OCULOS TUOS A ME (hebraice, *a coram me, vel e regione mei*), *QUIA IPSI ME AVOLARE FECERUNT.* — Hebraice לרויבתי היריבתי *hîrîbîti*, id est *prevolarunt mihi*; Pagninus, *fortiores me fuerunt*; Vatablus, *quia ipsi vincunt me*; Vigurina, *deflece oculos tuos, ne directe me contendantur, quia me superbiores faciunt*; R. Salomon et Anonymus, *certiores sunt me, mihi robur et dominationem adimunt*; R. David, *roborentur me in amore*; S. Ambrosius, *lib. De Isaac, cap. viii, ipsi me elevant*, idque sic explicat quasi Christus roget animam perfectam, ne se detineat in ebrieta contemplatione, sed sinat se descendere ad rudiorum instructionem et salutem: « *Et si tu, inquit, perfecta es, alie tamen adhuc anime redimende sunt, alie fulciende: quamobrem averte oculos tuos a me; elevas enim me videndo, ego autem ideo descendi, ut omnes elevem. Quoniam enim quis ad Dominum intendit, tanto amplius Cumminum elevat, et ipse elevatur.* »

Disce ex his omnibus versionibus, quam potentes sint oculi sinceri, casti et amabiles sponsæ, utpote quæ sponso prævaleant, dominentur, eumque quasi captivum, sibi que mancipant: sensus enim est, *q. d.* Tantus est decor oculorum tuorum, o sponsa, tanta tamque ignea in eis vis, ut me in sui amore rapiant, ut mihi dominentur, ut amori succumbam, ut mihi mentem quasi eripiant, ut nimietate amoris fugitivum cor quasi avolet et in te transvolet, juxta illud, *cap. iv, vers. 9*: « *Vulnerasti cor meum in uno ocalorum*

tionum; » hebraice, *excoordinati me.* » Vide quae de vi et illecebra oculorum femineorum, cap. iv, vers. 1 et 9, dixi. Nota est illa apud Euripidem in *Heceuba* lex, ex veterum moribus recepta: « Adversa ne qua femina spectet viros. »

Ostendit quod dixit, « pulchra es, et decora » ex pulchritudine oculorum, quae tanta est, ut cor sponsi in sui amorem abripiant, adeo ut sponsus, cordis sui impotens, videat illud volare in sponsum, *g. d.* Oculi tui adeo sunt pulchri, ut eorum lucem et vim non sustineam; modicum ergo eos deflecte, et ad latus averte, ut mihi redditis eos quasi ex latere liberius et lentius intuear: quare frigida est expositio Chaldaei, quae sic habet: « Fac accumbere magistris tuos sapientes, congregatio magna in circuitu, in conspectu meo; ipsi enim consulebant me in captivitate, et constituebant gymnasium doctrinae legis meae. »

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Multi censent hic notari et retundi aedaciam et curiositatem Ecclesiae, vel pie animae, quae oculos mentis nimis profunde vult figere in contemplanda Dei essentia et maiestate, ut incomprehensibilem quasi penetret et comprehendat, cum potius debeat curare negotia domus cum Martha et proximorum salutem: qua in re non proficit, sed magis retunditur et hebetatur oculorum ejus acies, sicut qui fixis oculis intuetur solem, excecatur, juxta illud, *Proverb. xxv, 27*: « Scrutator maiestatis opprimetur a gloria: » ita S. Gregorius, Cassiodorus, Theodoretus, Philo, Beda, Anselmus, Rupertus et S. Ambrosius, cujus verba jam recitavi. Huc accedit Justus Orgetianus, qui accipit haec de contemplatione humanitatis Christi, *g. d.* « Non me semper in corpore conspiciendum requiras, quem spiritu per fidem melius cernis. Idcirco enim in celos ascendi, ut non semper localis tibi appaream, qui sic omnia divinitatis meae praesentia repleo, ut ubique adsim, cunctaque contineam et a nullo loco continear. »

Verum hic sensus parum contextui, aeque ac hebraeae phrasi congruit: non enim reprehenditur hic sponsa a curiositate, sed laudatur a pulchritudine et illicio oculorum, per quos pura Ecclesia in Christum utentio et amor significatur, ut dixi cap. iv, vers. 1: haec enim intentio nisi Christo placendi et inherendi mire Christo placet et cor ejus aperit, ut diligentem se vicissim diligat, et intendenti sibi totus intendat. Significat ergo Christus charitate Ecclesiae se victum, ut sui tam amantem mirifice reciamet, ut quae ejus amore cursum, tempusque mundi absolute decernat, quo reliquiae Israel salventur: de his enim agit in sequentibus, ut hoc facit Ecclesia Christo sponso suo in aeternum copuletur, eoque felicissima perficitur in caelesti

gloria, ubi nuptiarum utriusque erit consummatio.

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Quod dixi de Ecclesia, de anima commutato nomine: porro nova et paradoxa est hic explicatio Nysseni, *homil. 13* et ultima (hic enim finit Nyssenus) et qui tum sequitur, imo ejus abbreviator est, Michael Psellus: censent enim haec esse verba non sponsi, sed sponsae ad sponsum; atque quod vertunt Septuaginta, *ἀποστρέψατο ὁ ὀφθαλμὸς σου ἀπὸ τοῦ ἰσχυροῦ*, sic transferunt, *averte oculos meos a contrario mihi* (Interprete Nysseni vertit a me, ut ἄπεναντί sit idem quod regione mei, id est a me, sed aliam esse Nysseni mentem patet ex his quae subdit): *nam illi scripturae ipsae, id est avolare fecerunt me; sed Nyssenus urgens ἵνα ἄρα vertit, rursus alas mihi tradiderunt, g. d.* Averte, o Christe, oculos tuos ab eo, quod mihi contrarium est, eosque converte ad me, quia lux oculorum tuorum alas gratiae, quas per peccatum perdidicam, rursum mihi reddidit, ut alata et a terrenis cupiditatibus expedita, ego ad caelum evolem.

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Nonnulli explicant de B. Virgine Christum concipientem et parientem, *g. d.* O Virgo, quae in altissima et purissima divinitatis contemplatione versaris, ab ea oculis mentis averte, eosque converte ad contemplandum incarnationis Verbi, quod in te peragitur, mysterium: hi enim puritatis mentis tuae oculi quasi me mihi surripuerunt, ac e sinu Patris in gremium tuum evolare fecerunt. Verum quia ad litteram hic agit de Ecclesiae reformatione et Synagoga conversione, potius sic exponas, *g. d.* Pura et ardens intentio tua, o Virgo, qua Ecclesia renovationem et Judaeorum conversionem ardentissime intendis, desideras, oras et procuras, adeo mihi placet, ut illam ultra ferre nequeam, quin potius illi obsecrandam, illique quasi me tradam, ut perficiam et operam compleam id quod tantopere desideras et flagitas.

Hos oculos mentis B. Virginis oculos predebant oculi corporis augusti, et amore Dei flagrantibus; unde de his Poeta:

O charissimae laces,
Nidissimae soles,
Felicissimae faces,
Augustissimae sidera!

Luces animae, soles mentis, faces cordis, sidera animi. O vultum! o caelum, tot, tamque divini

lucibus, facibusque caelatum! « o facies magni mihi numinis instar! » Sane vidit Roma imaginem Deiparae, a S. Luca depictam, in qua oculi et vultus maiestatem augustam, et plus quam humanam representant.

CAPILLI TUI SICUT GREX CAPRARUM, QUAE APPARUERUNT DE GALAAD.

VERS. 5 et 6. DENTES TUI SICUT GREX OVium, QUAE ASCENDERUNT DE LAVACRO, OMNES GENELLIS FOETIBUS, ET STERILIS NON EST IN HIS. SICUT CORTEX MALI PUNICI, SIC GENAE Tuae ABSQUE OCCULTIS TUIS.

Haec omnia explicata sunt, cap. iv, vers. 1: sponsus enim repetit haec sponsae elogia, ut ea confirmet et adolescentulis inculcet: tantum nota Septuaginta, Arabicum, Symmachum et Aquilam hic addere, *sicut faveolus cocineus labia tua, et eloquium tuum dulce*, quem versum ex cap. iv, vers. 3, transcriperunt et huc retulerunt. Rursum pro sicut cortex mali punici, Syrus vertit, *sicut corona mali punici*: haec enim in corticis vertice coronam patulam gestat. Ad haec pro absque occultis tuis, sive ut cap. iv, vers. 3, vertit, *absque eo quod intrinsecus laetet*, Arabicus transfert, *propter Alchirudinem silentii tui*.

VERS. 7 et 8. SEXAGINTA SUNT REGINAE, ET OCTOGINTA CONCUBINAE, ET ADOLESCENTULARUM NON EST NUMERUS. UNA EST COLUMBA MEA, PERFECTA MEA, UNA EST MATRIS SUAE, ELECTA GENITRICI SUAE. VIDERUNT EAM FILII, ET BRATHISSIMAM PREDICAVERUNT: REGINAE ET CONCUBINAE, ET LAUDAVERUNT EAM.

SEXAGINTA SUNT REGINAE, ET OCTOGINTA CONCUBINAE, ET ADOLESCENTULARUM NON EST NUMERUS. UNA EST COLUMBA MEA, PERFECTA MATRIS (Septuaginta, *matris*) SUAE, ELECTA GENITRICI SUAE. — « Unica matris, » id est unigenita, vel unica praeter alios filiiab dilecta a matre; Arabicus, *perfecta mea una est et una matris suae*. Concubinae vocantur non pellicae et meretrices, sed legitime uxores, licet secundariae: quia scilicet non erant matres-familias, nec earum filii in patris hereditatem et regnum succedebant, sed eum numeribus dimittebantur, uti Abraham Agar concubinae suae, ejusque filio Ismael dedit munera; Saram vero habuit quasi uxorem primariam et matrem-familias, cujus proinde filius Isaac Abraham fuit haeres ex asso. Vide dicta, *Genes. xxv, 6*. Adolescentulas accipie virginis honorarias, quae reginas et concubinas honoris causa comitabantur, earumque faciebant gynaecium; aut quasi in gynaecio servabantur, ut morientibus reginis, vel concubinis, in earum locum succederent, fierentque uxores vel primariae, vel secundariae.

Quaes an haec reginae, concubinae et adolescentulae fuerint Salomonis, an alterius? olim enim licita erat polygamia, non tantum apud gentiles, sed et apud Hebraeos; unde reges Parthorum, Persarum, Medorum, Assyriorum, Syrorum multas habebant uxores, uti etiamnum ha-

bent reges Maurorum, Turcarum, Indorum, Tartarorum, etc. *Primo*, Noster Delrio censet has non fuisse Salomonis, sed alterius, a quo petatur comparatio: « Nunc pastor noster, inquit, regum cunctorum opibus fortunisque sortem anteposuit suam. » Non placet accipi de Salomone rege, cujus feminarum mandrae his longe majores fuere, et contra quam hic legitimus: « Plures habuit reginas quam concubinas » (vide III *Reg. xi, 3*); sed capio indefinite de quovis monarcha potentissimo. « Sit aliquis, ait, qui in gynaecio suo clausus habeat plurimas conjuges primarias ingenuum conditionis et plures concubinas (sic vocantur secundariae uxores sine caeremoniis et ritualibus nuptiarum copulatae, servilis vel libertinae conditionis), plurimas vero virgines adolescentulas, qui in alteram thalami sortem mille clavibus asservantur in domo penetralibus, quidquid in tam multis divisim, in mea id conjugis conferim omne repellitur; quare et te, o dilecta, cunctis illis praefero, et me tali regis beatiorem dico. » Olim enim sponsus et sponsa honestabantur nomine regis et reginae; unde Plautus in *Sticho*: « Suis rex reginae placet, sua quisque sponsa sponso. » Nominis ergo regis et reginae sponsum et sponsa, licet plebei, se nutio honoris et laetitiae causa compellabant et salubant.

Secundo, aptius alii has censent fuisse Salomonis, hoc enim ipse nexus exigere videtur: ita S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.*, Genebrardus, Sotomajor, Gislebertus et alii hic. Abulenensis, I *Reg. xi, Quaes. IX* et seqq., Pineda, lib. VI *De Rebus Salomon.* cap. v. Salomon enim sub initia regni, cum castior esset, et haec scriberet, sexaginta duntaxat habuit reginas, et octoginta concubinas, non libidinis, sed regalis magnificentiae causa, ne vicinis regibus qui amplum illarum gynaecium ostentabant, dignitate videretur inferior: isto enim polygamiae aevo, regum splendor consistebat in reginarum copia et splendore; at senior factus et intemperantior, septingentas sibi acievit reginas et trecentas concubinas, III *Reg. xi, 3*. Ait ergo: « Ego Salomon, sexaginta habeo reginas, et octoginta concubinas, quae pluribus stipantur adolescentulis virginibus; at his omnibus praefero filiam Pharaonis: haec enim mihi prima et summa uxor, haec reginarum est regina; haec una mihi plus dilecta quam caeterae omnes; unde de hac dico: *Una est columba mea, perfecta mea*; eadem una est matris suae, electa genitrici suae; quia ob pulchritudinem, tum corporis, tum magis animi, moresque castos, modestos et compositos, tam mihi, quam matris suae praeter ceteris filiaibus unice est clara et dilecta. » Quod si hic uxorum numerus in Salomone adhuc sancto et sanctorum canticorum scriptore plus aeque major videtur, dicilo cum Sanchez, reginas haec et concubinas fuisse vicinorum regum, quae honoris causa comitabantur genialem pompam nuptiarum Salomonis cum filia Pharaonis, ac postea

serpe amicitia, et forte homagii causa ipsum in-ferrebant. Videntur enim hi reges Salomoni fuisse amici vel subditi.

Nominat *reginas sexaginta, concubinas octoginta*, quia post initia regni praeclise tot habuisse videtur, aut quia ponit numerum definitum pro infinito: *sexagenarius* enim est numerus perfectus, scilicet ex senario et denario in se multo ductis et multiplicatis: congrue ergo datur reginis: *octogenarius* vero conficitur ex denario qui est perfectus, et octonario qui est imperfectus; apte ergo tribuitur concubinis, utpote uxoriibus imperfectis. « Senarius, ait Justus, perfectus est, quia totis suis partibus constat, nam sexta ejus pars est unum; tertia, duo; media autem, tria esse probatur. » Denique Abulensis, III Reg. xi, Quæst. xii, et Pineda, lib. VI De Rel. Salomonis, v, censent Salomonem plures habuisse reginas et concubinas, scilicet usque ad mille, sed precipuum ex eis magisque familiares Salomoni hæc duntaxat numerat, easque fuisse sexaginta et reginis et octoginta a concubinis. Verum difficile est creditu esse, cum cantica tam spiritualia scriptis, adeo fuisse carnalem et mulierosum, ut mille habuerit uxores.

PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Regina, id est Ecclesia patriarchales, primates et metropolitanæ, sunt sexaginta, id est multe; concubinae, id est Ecclesie episcopales, sunt octoginta, id est plures; adolescentularum, id est Ecclesiarum parochialium et cæterarum, non est numerus: plurimæ enim sunt et quasi innumerabiles: at supra hæc omnes eminent Cathedra S. Petri, puta Ecclesia romana, inquit Cosmas Damianus, quæ reginarum est regina, totiusque Ecclesie caput et princeps, quæ cæteras omnes moderatur et regit, ne a recta fide et pietate aberrant; et cum aberrant, eas corrigit et reformatur: quare hæc est una *columba*, id est una sponsa Christi, unica ab eo *dilecta*, *perfecta* in fide et religione, *unica metri suæ*, et *electa generitrici suæ*, id est unica pariter dilecta primitivæ Ecclesie hierosolymitanæ, ait S. Anselmus; hæc enim cum mater omnium genuit, dum Ss. Petrum, Paulum, aliosque primos credentes Romam misit, ut eam converterent, et caput Ecclesie constituerent. Quare romanam Pontificæ, qui in ea presidet, mittit reformatores pro totum orbem, qui veram fidem et religionem in particularibus Ecclesiis collapsam, vel corruptam instaurant, uti S. Sylvester misit Osium Cordubensem, qui presset concilio Nicæno, ubi damnatus est Arius; Julius Liberius et alii miserunt S. Athanasium, Eusebium Verceilensem, Luciferum Calaritanum et alios, qui orientales episcopos in arianam hæresim prolapsos, ad veram fidem reducerent; imo pontifices romani

mittunt viros religiosos et apostolicos ad Indos, Tartaros, aliosque gentes, ut fidem apud eos prædicent et propagent; ac in fine mundi mittunt viros eximios in Judæam et Jerusalem, qui Antichristo resistent, et Judæos convertant; quare hæc Roma uniarum generitrici suæ, id est Hierosolymæ, puta Ecclesia Synagoge, cum filia matrem aberrantem, puta Roma Hierosolymam, a Moysæ aequæ ac ab Antichristo ad Christum traductæ. Tunc implebitur illud oraculum. Isai. xix, 24: « In die illa erit Israel tertius Ægypto et Assyrio, benedictio in medio terræ, sicut benedixit Dominus exercituum, dicens: Benedictus populus meus Ægypti, et opus manuum mearum Assyrio: hereditas autem mea Israel: » vide ibi dicta. Et illud, Isai. xlix, 23: « Erunt reges nutritii tui, et reginae nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. »

Illic accedunt Patres plerique, qui per unam *columbam* intelligunt unam Ecclesiam catholicam, toto orbe diffusam: hujus enim caput et princeps est Ecclesia romana: ita S. Gregorius Nyssenus, Cassiodorus, Beda, Anselmus hic, et S. Augustinus, tract. V in Joannem, ac S. Cyprianus, tract. De Unitate Ecclesie. Ecclesia ergo proprietatis et nota est, quod sit una, licet catholica et toto orbe diffusa: una, inquam, per unam fidem, spem et charitatem, ac per unum caput, puta Christum ejusque vicarium romanum Pontificem; a qua unitate qui se separat, schismaticus est vel hæreticus: vide S. Cyprianum, lib. De Unitate Ecclesie. Addit Cassiodorus illam dici *columbam*, quia in eam Spiritus Sanctus specie columbae descendit in baptismo Christi, Matth. iii, 16; matrem vero ejus esse celestem Jerusalem, ad quam illa a Deo evocata tendit et proficiscitur: hanc enim matrem *fideliem* vocat Paulus, Galat. cap. iii, 26. Nyssenus vero per matrem accipit Spiritum Sanctum, qui ut columba ipsam Ecclesiam genuit, velut pullum columbinum parvamque columbam. S. Gregorius autem per matrem accipit gratiam Spiritus Sancti, quod eodem redit: « Mater nostra, inquit, est regeneratrix gratia apud quam una columba eligitur; quia illos solos colligit, qui in simplicitate permanent, et ab unitate non seinduntur. Multi quippe fideles dum in idipsum intendunt, dum uno desiderio Christi se invicem nutriunt, dum habentes eorum unum et animam unam in charitate se uniant, ex multis membris unum corpus efficiunt, omnesque in unitatis simplicitate et unitate viventes, una columba existunt: quæ sola perfecta et electa generitrici suæ dicitur, quia extra hanc quam dicimus Ecclesiam, nemo ad perfectionem, nemo ad vitam, nisi per hanc solam gratia fovente nutritur. » Joannes Carnelita vero per matrem accipit Christum, qui quasi mater, materno affectu Ecclesiam et anteam perfectam unice et tenerrime diligit, juxta illud quod ipse ait, Isai. xlix, 15: « Numquid obliviscer potest mulier infantem suum, ut non miseretur

filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Et in manibus meis descripsi te; muri tui coram oculis meis semper. » Denique Guillelmus notat *reginas*, id est perfectas animas, numerari *sexaginta*, quia hæc legi Decalogi, quam significat *denarius*, addunt *senarium*, qui symbolum est perfectionis, quæ acquiritur per consilia evangelica: perfectæ enim sunt, quæ non tantum præcepta, sed et consilia evangelica observant. *Concubinae* notant illas, quæ præcepta Decalogi duntaxat custodiunt; unde his *octogenarius* circumcissionis, id est purgationis peccatorum contra Decalogum admissorum additur.

Porro Chaldaeus more suo judaizans, hæc accipit de regibus et populis oppugnantibus Jerusalem: « Tunc, inquit, surrexerunt Greci, et congregaverunt sexaginta reges de filiis Esau, indutos loriceis, ascendentes super equos et equites, et octoginta duces de filiis Israel ascendentes super elephantes, præter reliquos populos et linguas, quorum non erat numerus, et constituerunt Alexandrum regem super eos in principem, et venerunt ut pugnarent contra Jerusalem. Et in illo tempore erat cæcus Israel similis *columba perfecta*, et serviebat unanimis Domino suo, et apprehendebat legem, et laborabat in verbis legis in corde perfecto, et pure erant justitiæ eius sicut in die qua egressa est de Ægypto. »

SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Regina, id est anima perfecta sunt sexaginta, id est pauca; concubinae, id est proficientes; sunt octoginta, id est plures; adolescentulae, id est incipientes, sunt plurimæ, et quasi innumerabiles: at vero una est *columba*, id est paucissima, et ex mille vix una est anima perfectissima, quæ singularis sponsa Christi sit, ipsique soli intendat, ac tota quasi in ipsum transeat, qualis fuit S. Paulus, cujus cor erat mare charitatis, quod totum mundum absorberebat, ac omnes gentes, etiam Judæos sibi inimicissimos salvare satagebat; quem mille proinde plures faciebat Deus, quam mille sanctos etiam perfectos, religiosos et apostolicos. Vide S. Chrysostomi, homil. 8, quas scripsit de laudibus S. Pauli. Ito Origenes, hom. 2, Theodoritus, tres Anonymi: apud ipsum, Philo, Justus et S. Ambrosius, lib. De Isaac et anima, cap. viii: « Laudatur, inquit, quod sum una sit columba habens Spiritum unitatem, in qua sit pax, quæ fecit utraque unum, et quæ non sit composita ex diversis elementis discretæ compugnantisque nature. Anima benedicta omnis simplex, quæ imitatur dicentem, Joan. xvii, 21: Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: hæc est enim consummatio atque perfectio; » unde et addidit: « Ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in his, et tu in me; ut sint consummati in unum. Hæc est ergo anima columba

atque perfecta, quæ simplex atque spiritualis, neque hujus turbatur corporis passionibus, in quo foris pugna, intus timores sunt. »

Huc accedunt Nyssenus, S. Gregorius, Rupertus et alii, qui per *reginas* accipiunt animas, quæ ad celeste regnum aspirant; per *concupinas*, illas quæ ex timore inferni alteriusve damni aut spe mercedis legem Dei servant; per *adolescentulas*, quæ in fide sunt rudæ, et in opere remissæ. Addit Lucas abbas: « Rectæ et perfectæ animæ, quæ in se nobilitatem veram in qua creatæ sunt, reformaverunt, reginae dicuntur, eo quod regnent peccato, vel regendas eis populus Christum credentium sit commissus, quæ adhaerendo verbo Dei et concipiunt et pariunt reges. S. Augustinus, lib. LXXXIII Quæst. LV: « Regina, inquit, sunt animæ regnantes in intelligibilibus et spiritualibus; concubinae, quæ mercedem accipiunt terrenorum, de quibus est dictum, Matth. vi, 2: Acceperunt mercedem suam; adolescentulae, quarum non est determinata scientia, et diversis dogmatibus peregrinari possunt. »

Symbolice, una *columba* est anima, quæ uni summoque bono tota intendit: perfecta ergo summe est, si una uni Deo valet, uti aiebat S. Agidius socius S. Francis, imo Christus, Luc. x, 41: « Martha, Martha, inquit, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea: » charitas enim mentem unam Deo jungens, illam quasi unum quid cum Deo efficit, » ait S. Gregorius; hinc vere sapiens ille, « qui, inquit, perfectionem appetit, ad unionem aspirat; quidquid appetit, ad unitatem contendit. » « Rara, inquit B. Laurentius Justinianus De Casto convivio Verbi et anime, sub finem, inquam, est anima, quæ ex vite merito, ex numeris privilegio et immensitate amoris sponsa Verbi vocatur, de qua sponsus in ejus laudem dicat, Cantic. vi, 8: Una est columba mea, perfecta mea, electa generitrici suæ. Quam talem invenit, singulari eam diligit charitate, frequenter visitat, alloquitur familiariter, dulciter amplexatur, et vix ab illa patitur se absentare. Discedit interdum ab illa, non ut iratus, sed ut amore succensus: quo enim tardius redit, ipsa dilatione vehementius inflammatur, pulsata crebris, provocat ardenter, et dicit Cantic. ii, 13: Surge, amica mea, speciosa mea, et veni: columba veni in foraminem petrae, in cavernam maceris, ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et factus tua docera: præceptis namque amor dilationem non patitur, moras nescit desiderio fruenti quem diligit. Amoris artem amandi nescius non capit; solus novit expertus. »

TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Unice et maxime proprie competit hæc sententia